

2° *Modus tollens* : Ex falsitate consequentis sive conditionati, inferitur falsitas antecedentis sive conditionis, ut in clarissimo eo quod S. Augustinus tradit exemplo :

Proponunt Græci : « Si dii tales colendi sunt, profectò etiam tales (1) homines honorandi. » Assumunt Romani : « Sed nullo modo tales homines honorandi sunt. » Concludunt Christiani : « Nullo modo igitur dii tales colendi sunt. » (*De Civit. Dei*, l. II, c. 13).

Porrò harum regularum *ratio* ex eo petenda est, quòd inter propositionis connexæ membra tam arctus adsit dependentiæ nexus, ut consequens in antecedenti contineatur; ac proinde, posito antecedenti, poni debet consequens, et sublato consequenti, auferri debet antecedens.

II. De syllogismo conjuncto.

277. Syllogismus conjunctus est cujus major est propositio conjuncta; v. g. non doctus est Paulus simul et indoctus.

Hæ sunt illius *regulæ* : 1° *Modus ponendo-tollens* : Uno membrorum antecedentis in minore affirmato, cætera in conclusione debent negari, quia non possunt stare simul cum priori membro.

2° *Modus tollendo-ponens* : Si antecedens nonnisi duobus membris constet, uno negato, aliud debet affirmari. At si plura ac duo membra habeat, uno negato, non ideo aliud affirmare licet : v. g. immeritò concludit syllogismus sequens : Paulus non est simul Parisiis et Lugduni. Atqui non est Parisiis. Ergo est Lugduni.

III. De syllogismo disjuncto.

278. Syllogismus disjunctus vocatur cujus propositio major est disjuncta, ut in hoc exemplo : Aut dies est, aut nox est. Atqui dies est. Ergo non est nox.

Regula istius syllogismi vult enumerationem partium esse

(1) Mimos, Deorum sacerdotes, Græci honore prosequerentur, a dignitatibus autem arcebant Romani.

completam; eà verò semel institutà, datur : 1° *Modus ponendo-tollens* : Uno membrorum antecedentis in minore affirmato, aliud vel cætera in conclusione neganda sunt, utpote quòd membrum affirmatum cætera excludat : v. g. : Aut anima humana est simplex, aut composita. Atqui est simplex. Ergo non composita.

2° *Modus tollendo-ponens* : Si antecedens duobus tantum membris constat, uno in minore negato, aliud affirmari debet in conclusione, ut patet in celeberrimo illo S. Bernardi argumento : Aut Christus fallitur, aut mundus errat. Sed divinam impossibile est decipi sapientiam. Ergo mundus errat.

3° At si antecedentis membra plura sint ac duo, uno horum negato, cætera *disjunctivè* tantum in conclusione affirmari debent; v. g. : Vel Aristoteles Platonem scientiâ vincit, vel adæquat, vel ab eo vincitur. Sed ab eo non vincitur. Ergo vel eum vincit, vel adæquat.

279. Syllogismus hypotheticus ad *theticum* facillè potest *revocari*; at eum quandoque vincere videtur claritate et magis urgere adversarium. — Insuper syllogismus categoricus enunciat relationem attributi ad subjectum simpliciter, abstrahendo a temporis notâ; quam hypotheticus indicat optimè.

§ VI. — De reliquis argumentis quæ ad syllogismum accedunt.

Quinque numerantur argumenta quæ a syllogismi perfectione deficiunt, etsi ad eum quodammodo accedant. Hæc porrò sunt *Enthymema*, *Epicherema*, *Sorites*, *Prosyllogismus* et *Dilemma*.

280. 1° *Enthymema* apud Aristotelem, scholasticos et ipsum Wolfium definitur : *syllogismus ex signis vel probabilibus confectus*; v. g. : Cælum nubilosum pluviam minatur. Atqui cælum est in præsentia nubilosum. Ergo in præsentia pluviam minatur. Vel : Senes prudentiâ eminent. Atqui Paulus est senex. Ergo prudentiâ eminet.

Ex quo patet enthymema non *formâ* quidem, sed *materiâ* tantum a syllogismo discriminari. Habet enim tres proposi-

tiones, perinde ac syllogismus, sed versatur in materiâ contingenti, imò probabilibus tantum præmissis utitur.

At recentes philosophi enthymema vocant syllogismum *truncatum*, in quo scilicet altera ex præmissis enunciat, altera autem subauditur; v. g. : Deus est bonus, ergo amandus.

281. 2° *Epicherema*, ἐπιχειρεω, vocatur ab Aristotele syllogismus *dialecticus*, sive *probabilis*, in quo, alteri, vel utrique præmissæ sua statim probatio additur. Clarum exemplum habes apud Tullium pro Sexto Roscio : Ut quis parricidii sit suspectus, is scelestissimus et audacissimus sit oportet; est enim crimen horrendum. Atqui Sextus Roscius non est talis; non enim est audax, non luxuriosus, non avarus; non ergo est parricidii suspectus.

Epicherema igitur seu *materiâ*, seu *formâ* differt a syllogismo : materiâ quidem, quum ex probabilibus tantum argumentetur : formâ quoque, siquidem utrique, vel uni præmissæ probationem suam adjungit.

282. 3° *Sorites* ex græcâ voce σωρεω, congero, cumulo, illa est argumentandi ratio, in quâ plures propositiones inter se colligatæ cumulantur, ita ut attributum primæ fiat subjectum secundæ, et attributum secundæ subjectum tertiæ, et eodem dein ordine, donec subjectum primæ propositionis cum attributo ultimæ copuletur; v. g. : Impius cupiditatibus suis habenas relaxat. Qui cupiditatibus suis habenas relaxat, multa desiderat. Qui multa desiderat, multis eget. Qui multis eget, inquietam vitam agit. Qui inquietam vitam agit, est miser. Ergo impius est miser.

Argumentatio hæc fundatur in illo principio enunciato ab Aristotele : « Quum alterum alteri attribuitur tanquam sub-jecto, quot sunt ea quæ de attributo dicuntur, totidem etiam de subjecto dicuntur. » (*Categor.*, c. 3, § 1).

Patet soritem multorum syllogismorum *acervationem* esse, totque in eo syllogismos distingui, quot medios terminos reperire est. V. g. in allato exemplo quatuor inveniuntur syllogismi :

1° Impius cupiditatibus suis relaxat habenas. Porrò qui

suis cupiditatibus relaxat habenas, multa desiderat. Ergo impius multa desiderat.

2° Qui multa desiderat, multis eget. Atqui impius multa desiderat. Ergo multis eget.

3° Qui multis eget, inquietam vitam agit. Atqui impius multis eget. Ergo inquietam vitam agit.

4° Qui inquietam vitam agit, est miser. Atqui impius inquietam vitam agit. Ergo est miser.

283. Porrò sorites *usus* est infrequentis, propterea quòd animus gravatur numerosâ istâ propositionum mole. — Adde sophisma facilè obrepere posse in hac serie propositionum, nisi mens attentâ vigilaverit. Itaque Chrysippus eo ad cavillationes inducendas utebatur, ut exemplo est sequens sophisma : « Nonne pauca duo sunt? Nonne et tria sunt pauca? Similiterque quatuor, et sic porrò usque ad decem? Duo autem pauca sunt. Ergo et decem. » (*Laert.*, l. VII, segm. 82).

284. 4° *Prosylogismus*, sive *polysyllogismus*, est argumentatio duobus vel pluribus syllogismis constans ita ordinatis, ut unius conclusio una sit ex præmissis alterius. Exemplo sit prosyllogismus sequens : Quod cogitat, spirituale est. Atqui anima humana cogitat. Ergo spiritualis est. Quod autem est spirituale, est etiam immortale. Ergo anima humana est immortalis.

285. 5° *Dilemma*, ex græcâ origine δις λαμβανω, his capio, definitur argumentum in quo, *post divisionem totius in suas partes, id concluditur de toto, quod de singulis fuit enunciatum*. Scilicet primò numerantur plures hypotheses, et deinceps omnes et singulæ contra adversarium concluduntur.

Hunc in modum S. Augustinus argumentatur in gratiam religionis catholicæ, ob divinam ejus *propagationem* : Vel religio christiana miraculis propagata est, vel absque miraculis; si miraculis, ergo divina est agnoscenda; si absque miraculis, hoc ipsum summum est miraculum, sine miraculis eam fuisse propagatam; utpote quæ et passionibus adversa et mediocribus erat innixa instrumentis. Ergo quocumque modo propagatio ejus explicetur, divinam eam haberi necesse est. (*De Civit. Dei*, l. XXII, c. LXXXVII).

Quamobrem dilemma quaquaversum adversarium premit; unde vocatur etiam *cornutum*, seu utrinque feriens. Porrò partim *connexi*, partim *disjuncti* syllogismi naturam induit.

286. *Duplici legi subjacet dilemma*; nam 1° *completa debet esse partium enumeratio*; alioquin adversario pateret effugiendi locus per medium haud expressum, ut in sequenti exemplo. Ferunt enim (resque pervulgata est, quamvis non certa) Omar Mahumetis sectatorem, interrogatum olim a legato suo Amrou, quid agendum esset de Alexandrinâ illâ bibliothecâ, ita respondisse: Vel ii libri eadem continent atque Alcoranum, vel contraria. Si eadem, flammis comburendi sunt, quia inutiles; si contraria, flammis comburendi sunt, quia nocivi.

Cùm verò nonnunquam difficile sit omnes hypotheses posibles numerare aut cognoscere, dilemma facilè verti potest in argumentum sophisticum.

2° *Requiritur ut unaquæque pars ritè concludat*; alioquin *retorqueri* posset, ut sequens argumentum ab Evathlo adversus Protagoram, ipsius magistrum. Ii nempe pacto decreverant ut Evathlus persolveret mercedem cùm in primâ causâ vinceret. Interim res in moram protrahebatur; ex quo Protagoras discipulum suum in jus adscivit, sicque ante iudices eum allocutus est: « Disce, stultissime adolescens, utroque
« in modo fore ut reddas quod peto, sive contra te pronun-
« tiatum erit, sive pro te. Nam si contra te lis data erit,
« merces mihi ex sententiâ debebitur, quia ego vicerò; sin
« verò secundùm te iudicatum erit, merces mihi ex pacto
« debebitur, quia tu viceris. »

Ad hæc Evathlus: « Disce tu quoque, magister sapientis-
« sime, utroque modo fieri uti non reddam quod petis, sive
« contra me pronuntiatum fuerit, sive pro me. Nam si judi-
« ces pro meâ causâ senserint, nihil tibi ex sententiâ debe-
« bitur, quia ego vicerò; sin contra me pronuntiaverint,
« nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicerò. » (*Apud Aulum Gellium, Noct. Attic., l. v, c. 10*).

Quod quidem argumentum ita captiosum iudicibus visum est, ut litem componere ausi non fuerint.

ARTICULUS III

De syllogismo ex parte materiæ spectato.

287. Ratione materiæ præmissarum ex quibus constat, *dividitur* syllogismus in *apodicticum*, *dialecticum* et *sophisticum*. Syllogismus apodicticus ex præmissis aut necessariis, aut certis coalescit, gignitque conclusionem vel absolutè, vel hypotheticè necessariam. Syllogismus dialecticus ex præmissis probabilibus constituitur, et gignit opinionem. Syllogismus sophisticus constituitur ex præmissis reipsa falsis, quamquam verisimiles videantur, et gignit errorem. De singulis agendum est.

§ I. — De syllogismo apodictico seu demonstrativo (1).

Naturam demonstrationis et varias species præstat declarare.

I. De naturâ demonstrationis.

288. Demonstratio *latiori*, vel *stricto* sensu potest accipi. Latiori sensu accepta, est syllogismus præmissis quidem certis, at merè *contingentibus* innixus, ex quibus *hypotheticè* tantùm necessaria conclusio eruitur. — At stricto sensu accepta, est syllogismus præmissis certis *necessariisque* innixus, ex quibus conclusio educitur *absolutè* necessaria.

Porrò tria spectanda sunt in omni demonstratione, scilicet: 1° *prærequisitæ* notiones sine quibus confici haud potest; 2° ipsa demonstrationis *essentia*; 3° illius effectus, sive scientifica conclusio. Singula breviter sunt explicanda.

289. 1° Ut monet Aristoteles, « *omnis disciplina intellectiva ex præcedenti fit cognitione* » (*Analyt. Poster., l. 1, c. 1*). Atqui præviæ illæ notiones quas supponit omnis disciplina seu demonstratio, ad tria pertinent, nimirum ad *subjectum*

(1) Cf. Arist., *Posteriores analyticos libros*, et S. Thom., *Comment. de iisdem*.